

40. — Multa sunt, igitur, obstacula potentissima quae Pastoribus ipsis liberum fortitudinis exercitium praepediunt, quaeque una prudentiae cura vincuntur. Unum vero his remedium, virtus est, quae, vicissim, dum prudentiam suadet, fortitudinem enixe custodit colitque. *Noli, igitur, o Pastor, concupiscere quod non licet habere; noli habere quod te potest impedire et libertate interiori privare... Si fuerit amor tuus purus, simplex et bene ordinatus, eris sine captivitate rerum<sup>1</sup>. Iustus quasi leo confidens, absque terrore erit<sup>2</sup>.*

#### Articulus VI.

##### DE BONI PASTORIS ORATIONE.

Pastoralis regiminis hucusque supernis recensitis adiumentis, de humanis pertractare, quod in animo est, tantae difficultatis ac momenti res efficitur ut, nisi peculiare Divinae Gratiae auxilium multum accedat, haud fieri possit ut in praxim deducatur. Quapropter in huius primi capituli sectionis limine, antequam ulterius procedamus, de orationis spiritu in ecclesiastico Pastore dicemus, quo, dum supernis Praepositi adiumentis coronam imponimus, ad humana prudentialia illa sternimus viam.

#### § I. — De Boni Pastoris oratione generatim.

SUMMAE RERUM. — 41. De orationis studii necessitate. — 42. Rationes quae orationem animarum Pastori suadeant indigentur.

41. — Animarum regimen consideranti, orationis studii in Pastore necessitas facile evincitur: quia *fallitur profecto quisquis opus hoc absque devotionis pabulo et orationis praesidio adsumere se posse putat*<sup>3</sup>. Supra modum, enim, laboriosum est regiminis pondus atque intolerabile, nisi desuper infundatur gratia; equidem hoc posse perficere non est volentis, neque currentis, sed tantum miserentis Dei. Porro, cum negotium hoc humanam supereminet sufficientiam, de orationis thesauris vires consiliaque adeo Pastores hauriant, ut, illius torrente voluptatis repleti, verbum vitae ac documenta salutis fidelibus praebere valeant. Oratio, enim, regiminis corporis anima quaedam ac vita est, a qua quantum

<sup>1</sup> *De Imitation. Christi.* lib. III, cap. III.

<sup>2</sup> *Prov.* XXVIII, 1.

<sup>3</sup> S. Laurent. Justin. *De Instit. et Regim. Praelator.* cap. II.

quisque decerpserit, tantum a vita detraxerit: quantumcumque plus concesserit, tantum plus sanguinis boni dederit. Nam quemadmodum, corpus nervis cohaeret, vivit, currit, stat et compactum est [adeo ut si nervos incideris, universam corporis harmoniam dissolveris] itidem Pastoris anima per sanctas preces sibi constat et compingitur ac regiminis cursum facile peragit. Oratione stante, stabunt non magno molimine reliqua: cadente, cadent pariter, unaque ruina sepelietur quidquid superinstructum fuerit. Neque, enim, oratione pulsa aut exulante consistere diu pastorale regimen poterit, aut valetudinem suam tueri: nam cum oratio id regimini sit quod cibus corpori, non posse diu regimen stare alimento suo destitutum, facile vides. S. Bonaventurae comparatio ad rem habetur: *Sicut nauta, praevidens tempestatem, festinat saepius ingredi portum securum, ita Praelatus ad orationis portum continue confugiat, ubi omnes periculorum collisiones evadat*<sup>1</sup>. Pastor, igitur, *sit prae cunctis contemplatione suspensus*<sup>2</sup>; qui *orationis usu et experimento iam didicit quod obtinere a Domino quae poposcerit possit*<sup>3</sup>; qui *in omni re, orationi plus fidat, quam suae industriae vel labori*<sup>4</sup>. — Pastorum, insuper, vita quasi radix Ecclesiae a Gersonio dicitur<sup>5</sup>, et *valde indecens est ut is qui aliis praeest, in studio contemplationis inveniatur inferior*<sup>6</sup>. Sapientissima autem est Divi Gregorii animadversio qui perfectos inter et imperfectos hoc esse discrimen animadvertit, *illos ad actionem post orationem descendere, hos contra ad orationem post actionem ascendere*<sup>7</sup>: atqui Praelatorum vitam inter perfectissimas esse oportet. — Tandem, cum Pastores animarum Apostolorum labores in regimine prosequantur, eorum apostolica sectari exempla summopere decet: qui cum de muneribus distribuendis actum est, huic pauperum curam, alteri Ecclesiae thesaurum commiserit, sibi autem orationis reliquerunt officium: *Nos vero orationi instantes erimus*<sup>8</sup>; et alibi: *Non cessamus pro vobis orantes et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientia et intellectu spiritali*<sup>9</sup>. Et recte sane; nam ut Apostolus ait: *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*<sup>10</sup>; quod incrementum postulare decet. Oratione, potiusquam ferreis dimicando armis oravit Moyses in montis cacumine positus, ac

<sup>1</sup> *De Sex Alis*, cap. VIII.

<sup>2</sup> S. Gregorius, *Regula Pastor.* Par. II, cap. 10.

<sup>3</sup> *Id. Ibid.*

<sup>4</sup> S. Bernardus, *De Consider.* Lib. VI, cap. 4.

<sup>5</sup> *Sup. Marc.*

<sup>6</sup> *Tritem. in Regul. S. Benedict.* cap. 2.

<sup>7</sup> *Moral. Lib. VI*, cap. 7.

<sup>8</sup> *Act. Apostolor.* cap. 6.

<sup>9</sup> *Ad Colossens.* I, V, 9.

<sup>10</sup> *Ad Corinth.* III, 7.



Amalechitarum populum vertit in fugam: oratione sua Iosue solem firmavit, ne ad occasum verteret donec Gabaonitarum victoriam consummaret. David sanctissimus, dum pestilentiae clades, Angelo percutiente, acriter desaeuere in plebe, humiles ad Dominum supplicationes effundens, perpetrati sceleris ultionem mitigare promeruit. Ezechias, maximo lacrimarum imbre effuso, interpellantibus precibus, vitae suae prorogationem obtinuit: Daniel [aetate iuuenis, sed grandaevus moribus, et spiritu plenus], supplicatione mediante, atrocissimos leones mansuescere fecit: tres pueri [manibus ac pedibus compenditi], ardentis fornacis coniecti in medium, Deum laudantes pariter et deprecantes, per eandem deambulaverunt illaesi. Ne autem in multis probatissimorum virorum pretextendo exemplaria immoremur, Sancti Pastores omnes, in propriis aliorumque angustiis, tentationibus ac periculis, negociis publicis ac privatis, et in quocumque eventu, semper ad tranquillum orationis portum accurrisse, de coelo postulantes auxilium, indeque, quod indubia postulabant fide, quantum assequuti sint, eorum tradunt historiae. *Amen dico vobis, quaecumque orantes petitis credite, quia accipietis et fiet vobis*<sup>1</sup>. *Cor suum*, itaque, [Pastor] *tradat ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum et in conspectu Altissimi deprecetur*<sup>2</sup>; *aperiat os sum in oratione*<sup>3</sup>, exclametque cum Propheta: *Praevenerunt oculi mei ad te diluculo ut meditarer eloquia tua*<sup>4</sup>: *mane oratio mea praevenerit te*<sup>5</sup>. Hac ratione Dominus *spiritu intelligentiae replebit illum, et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiae suae...; diriget consilium eius et disciplinam, et in absconditis suis consiliabitur. Ipse palam faciet disciplinam doctrinae suae et in lege testamenti Domini gloriabitur. Collaudabunt multi sapientiam eius...: non recedet memoria eius...: sapientiam eius enarrabunt gentes, et laudem eius enuntiabit Ecclesia*<sup>6</sup>. Apte, igitur, monet Bernardus: *utilis est eruditio Pastoris, sed multo magis oratio necessaria, quippe quae sola docet scire de omnibus*<sup>7</sup>.

42. — Rationes vero quae hunc orationis spiritum Pastori suadent ita indigitare possumus:

a) Ad animi dissipationem defugiendam. Quum, enim, *indubitanter constet, quod, externis occupationum tumultibus, cor a semetipso impulsus corruat*<sup>8</sup>, *studere incessabiliter debet ut per orationis et meditationis studium resurgat...; et ad amorem spiritualis Patriae, compunctionis*

<sup>1</sup> Marc. XI, 24.

<sup>2</sup> Eccles. XXXIX, 6.

<sup>3</sup> Id. Ibid., 7.

<sup>4</sup> Psalm. CXVIII, 148.

<sup>5</sup> Ibid. CXVII, 14.

<sup>6</sup> Eccles., XXXIX, 8-14.

<sup>7</sup> De Consider. Lib. I, cap. 5.

<sup>8</sup> S. Gregor. Magn. Regul. Pastoral. Par. I, cap. 4.

*aspiratione, semper renovetur*<sup>1</sup>. *Quid, enim, tibi prodest si universum mundum lucreris, te unum perdens? Etsi sapiens sis, deest tibi ad sapientiam si tibi sapiens non fueris... Quocumque evageris, te revocaveris cum salutis fructu: tu primus tibi, tu ultimus*<sup>2</sup>. Nimiae, enim, effusionis periculum ex negotiorum multiplicatione gravius efficitur, quo secus Pastoris verba et opera vacua et mortua erunt, negotiorumque multitudo, potiusquam ecclesiastica, saecularia desideria fovebit. *Ad hoc opus* [S. Laurentius Iustinianus monet] *nullus reperitur idoneus nisi quem Spiritus Veritatis docuerit intus et repleverit sapientia, intellectu ac consilio*<sup>3</sup>. Quare si negotiosi illi [si adsunt] Pastores in externa tantum opera diffusi, etsi ambitum foveant suum, fructum contra perexiguum colligere, nil mirum: sanctae, enim, spiraculo vitae spiritualis quum careant, speciem non substantiam colunt, quo potiusquam fructus, folia vepresque colligunt.

b) Ad cordis duritiam vitandam, qua, sensim sine sensu, dum Spiritus Dei a Pastore recedit, quae carnis sunt accedunt. *Cor, enim, durum nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec precibus movetur, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum est ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicia saevum, inverecundum ad turpia... inhumanum ad humana, temerarium ad divina, praeteritorum obliviscens, praesentium negligerens, futura non praevidens*<sup>4</sup>. Nil mirum, igitur, si paternam christianae observantiae indolem duro hi corde lacessunt, si non veluti pastores et patres, sed ut domini vel tribuni militum, acri supercilio atque pietatis inexpertes<sup>5</sup>, christifidelibus imperitant. Nam qua erit pietate in suos Pastor qui eam exuerit in Deum? Quo calore feretur in sibi concreditos qui refrixerit in Illum? Tepuit in divinae pietatis studio, frigescet in suorum; et pro pio ac suavi, asperum, morosum, crudelem se etiam exhibebit. Ubi, enim, pietatis languere viscera, miseratio tepuit et densum quoddam frigus occupavit intima. Hinc severior vultus, deiectionior frons, morosus sermo, alienior animus misereri ignarus: hinc nullum languentium aut sub paupertate fatiscientium levamen, nulla virtutum incitamenta, sudorum praemia nulla hinc. Quid mirum, igitur, si ubi cor durum est, charitas exulat, quae cum defecerit, Iesu Christi vita arescit omnino, ac pastoralem omne regimen cadit. — Nec externa umquam operum prospera facie quis decipiatur; nam *in vanum*

<sup>1</sup> S. Bernardus, De Consider. Lib. I, cap. 3.

<sup>2</sup> Op. et loc. cit.

<sup>3</sup> De Instil. et Regim. Praelator, cap. 3.

<sup>4</sup> S. Bernard. Op. et loc. cit., Lib. I, cap. 2.

<sup>5</sup> Id. De nimia fallacia praes. vitae.



laborabit Praelatus nisi orationi magno studio intendat<sup>1</sup>. Caveat, itaque, sedulo Pastor bonus ut animum suavi veluti balsamo oratione perfundat; nam tunc bene atque vere ad proximorum actionem descendimus, si, ex toto corde et viribus, in ardenti Dei dilectione persistimus<sup>2</sup>.

c) Ad bonum paroeciae assequendum, seu ad eius regiminis difficultates superandas; nam animarum Pastores tunc bene exteriora disponunt, cum sollicite ad interiora refugiunt, et apud semetipsos, in tranquillitatis sinu, requiescunt...; cum foris ambigunt quid disponant, ad mentem semper, quasi ad Tabernaculum, redeunt<sup>3</sup>. Ibi de his in quibus dubitant apud semetipsos intus sacri eloquii paginas requirunt; ibi Dominum consulunt, et quod foris agendum est publice, intus silenter audiunt; ibi Dominum consulunt, et quod prius intus tacentes audiunt, hoc foris postmodum agentes patefaciunt, et ut exterioribus officiis inoffense deserviant, ad cordis secreta recurrere incessanter satagunt. — Quae omnia paroeciae regiminis difficultates considerantibus comperta erunt. Quamvis, enim, haec parva sit, ex hominibus tamen [humanis passionibus aerumnisque obnoxii] et ipsa semper coalescit: et discordiae atrocem faculam inimicus homo inibi quoque agitare consuevit. Insuper, quantum Domini vias in fidelibus dignoscere Pastori intersit, concedent omnes libenter, qui et quantum ardua res sit haud denegabunt. Ad hoc magnum discrimen illud quod naturam ac gratiam inter habetur, eorumque oppositos dignoscere motus oportet, quod [ut plurimum] cum humanae tantum prudentiae auxilio haud perspectum habeatur, Spiritus Gratiae intelligentiae adiumentum necesse est, quod oratione tantum comparabitur; quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei<sup>4</sup>. At, quomodo haec omnia recte perseveranterque Pastor ille praestabit qui, pietate in Deo pauper, Eius spiritus vacuus fuerit? E contrario, hi qui altius coeteros, mentis elevatione, transcendunt, per contemplationis quietem, clarius intuentur coelestia, ac certius rectiusque haec assequuntur. Tunc, enim, adeo Pastores divinae sapientiae prudentiaeque irradiantur splendoribus, ut [Superno afflante lumine] inter lucem et lucem, inter lucem ac tenebras, tenebras inter ac tenebras apte discernant. Et profecto Almus hic Spiritus cum illabitur [superna infundendo lumina] dubios firmat, ignaros erudit, elevat de imis, collocat in excelsis, ac novae Hierosolymae custodes, speculatores servato-

<sup>1</sup> Concil. Prov. Viennens.. [a. 1858] tit. 2, cap. 2.

<sup>2</sup> S. Gregorius Magnus, *Epistol.* Lib. II, Indict. 14. epist. 64, ad Ioan. *Episcop.*

<sup>3</sup> *Id. Moral.* Lib. V, cap. 11.

<sup>4</sup> *I Corinth.* II, 10.

resque fidelissimos constituit. *Beatus homo quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum*<sup>1</sup>. *Non cesses, igitur, fili, audire doctrinam*<sup>2</sup>; *fili mi, ausculta sermones meos, et ad eloquia mea inclina aurem tuam*<sup>3</sup>.

d) Ad ambulandum coram Deo semper, ut Abrahamo praecepit Dominus: *Ambula coram me et esto perfectus*<sup>4</sup>: nam qui vacare Deo negligit, suo sibi iudicio humano, lumen eius visionis abscondit<sup>5</sup>; quo, potiusquam ab auctore Deo, a se ipso potestatem qua gaudet derivans, dum sua iura colit acriterque tuetur, sua officia penitus obliviscitur. Tunc Pastor Dei instrumentum in christifideles haud sunt, et ubi spiritus Domini tacet, quae carnis sunt exuberant opera. Tunc abiciet eos Dominus quia non audierunt eum<sup>6</sup>, et sibi ipsi relictis, sapientia, conversatio sancta, superna lumina ab ipsis adeo recedunt, ut coelestis harmoniae modulos mellifluasque angelici concentus melodes ipsi ignorent, et non iuxta Spiritum Sanctum, sed suo pro libito Praepositi regnent: ubi, enim, *Spiritus Sanctus deest, non potest esse sapientia, conversatio sancta, sed utriusque carentia*<sup>7</sup>. Ignorantes intelligentiam Dei, stulte agentes, Dominum nec gregem, sed semetipsos quaerentes, adeo a semitis declinantur rectis ut sanctam dilectamque Domini vineam demoliantur. *Spiritus Domini... recessit a Saul et exagitabat eum spiritus nequam Domino*<sup>8</sup>. — Ut, enim, omnis Pastoris auctoritas a Deo est, ita Praepositum christifideles moderari ut Deus eos solet oportet. Quamobrem Divinae Maiestatis, gravitate et modestia, ipse imitetur; potentiam virtute sectetur; sapientiam prudentia referat; bonitatem humanitate reddat, immensitatem vigilantia, charitatem paterno studio, liberalitatem beneficentia, misericordiam indulgentia sequatur ipsamque aeternitatem immutabilitatemque, constantia et perseverantia, proferat. — Nec satis: si quis, enim, vix aliquanta regiminis experientia callet, instrumentum sese fuisse divini consilii non semel fatebitur. Nam *sortes, mittuntur in sinu, sed a Domino temperantur*<sup>9</sup>, qui haud semel tantum, mittit Angelum suum ante faciem Pastoris ut praeparet viam suam ante illum, ducens eum in viam quam nesciebat. Enimvero *cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius*<sup>10</sup>; et sicut *divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud*<sup>11</sup>.

<sup>1</sup> *Pslam.* XCIII, 12.

<sup>2</sup> *Prov.* XIX, 27.

<sup>3</sup> *Id.* IV, 20.

<sup>4</sup> *Genes.* XVII, 1.

<sup>5</sup> S. Gregorius Magn. *Moral.* Lib. V, cap. 11.

<sup>6</sup> *Osea*, IX, 7.

<sup>7</sup> S. Laurent. Iustin. *Op. et loc. cit.*

<sup>8</sup> *I Reg.* XVI, 14.

<sup>9</sup> *Prov.* XVI, 33.

<sup>10</sup> *Prov.* XVI, 9.

<sup>11</sup> *Ibid.* XXI, 1.



*Spiritus ubi vult spirat*<sup>1</sup>, adiuvens infirmitatem nostram. Etsi, enim, diu Pastor consilia disponat sua, aliquid passim inopinatum erumpit, quod alia omnino via deducit. Quamobrem [ne illud Saullo dictum et in te impleatur: *quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Deus ne sis Rex super Israel*<sup>2</sup>] in omni re divino te consilio committere labore-sque tuos cogaris; nam *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*<sup>3</sup>. — In aliorum tandem regimine sic mens, plerumque, decipitur ut aut qualitate mali, aut quantitate boni fallatur. Sed haec omnia melius preces quam discussiones inveniunt; et quo haec perscrutari in nobismetipsis plenius nitimur, saepe verius orando, quam investigando penetramus. Igitur potiusquam ex laboris, ex orationis pluteo paroeciam regi debere, iure meritoque, prudentissimus quidam suasit. Quae cum ita sint, clare patet Pastorem valde oportere ut *aurem Deo prius aperiat quam os*<sup>4</sup>; *Dei, namque, debet esse docibilis qui, suscepto praedicationis officio, docere homines cupit*<sup>5</sup>, quo plenius mandatorum Dei pondus et vim sentimus. Tunc, enim, *requiescit* super nos *spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiae et pietatis*<sup>6</sup>; qui super mel dulcis, suavis, benignus, disertus, sanctus cum sit, docendo nos de omnia, per caritatis iustitiaeque rectas semitas nos misericorditer deducit; verba quae loquitur Spiritus, vitae verba sunt! — Semper, igitur, Pastor memoretur *Deus benedicere haud deesse qui, ut sancta eius desideria constans adimpleat, ab eo constanter et lumina et gratias exposcit*<sup>7</sup>. Ad sanctum, igitur, orationis Tabernaculum [Moysen Apostolosque imitatus] Pastor confugiat, ibique quid exterius agendum sit disponat. Nam [iterum iterumque admonemus] eos qui bene regere cupiunt, eo melius orare necesse est, ut post orationis exercitium, a conspectu Dei redeuntes, in labore alacres, in administratione solliciti, et in omni exercitatione devoti efficiantur.

<sup>1</sup> Ioann. III, 8.

<sup>2</sup> I Reg. 15.

<sup>3</sup> Prov. XXI, 30.

<sup>4</sup> S. Gregor. Magn. Homil. in Ezech. Lib. I, homil. 11.

<sup>5</sup> Id. in I Reg. lib. 1, cap. 5.

<sup>6</sup> Isaia, XI, 2.

<sup>7</sup> Valuy, Op. cit. Lib. II, cap. 2.

## § II. Pastoris boni orationis practica ratio.

SUMMAE RERUM. — 43. Boni Pastoris communis ac consueta oratio. — 44. Quae eius oratio extra ordinem esse potest. — 45. Peculiare eius objectum indigitatur.

43. — Ad in re rationem indigitandam, diversae Pastoris orationis species recolendae sunt, idest communis, ac extraordinem. — Quoad communem, Pastores etiam quando actioni impendunt operam [biblici ignis ad instar *qui in altari semper ardebat, quem enutriebant sacerdotes, subiicientes ligna mane per singulos dies*<sup>1</sup>] orationi studere semper debent *orantes omni tempore in spiritu*<sup>2</sup>; semper, enim, iustus orat, qui semper bene pro Deo adlaborat, nec desinit orare nisi cum iustum esse desinit. Ubicumque, igitur, fueris, intra temetipsum ora: si abfueris ab oratorio, noli quaerere oratorium, quoniam anima tua ipsa oratorium est: ubicumque fueris, ubicumque templum te ipsum intus invenies. Vox, enim, in Deum non labiorum crepitus, sed cordis affectus, qui, quum non *chordula, sed cor psallat in aure Dei*<sup>3</sup>, haud auribus, sed mentis lumine intelligi consuevit; frequens oratio, firma protectio. Cum externe, igitur, laboraveris et necessaria negocia tractaveris, ne totus in visibilibus defluas, sed, frequenti oratione, ad Deum [qui adiutor noster vitaeque nostra est] cor attollas: haec, enim, omnia non impedire, sed adiuvere Dei servum decent. — Attamen a primis diei horis ad postremas usque, tuas regiminis ac condicionis occupationes adeo disponere debes ut tua oratio nunquam deficiat, quae animae sanctae subsidium, sapientiae genitrix, fortitudinis scutum, [quo omnia adversantium iacula repelluntur] est. *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*<sup>4</sup> legimus scriptum; nimirum [ut quidam commentatur] *primo vobis, deinde gregi*: quod ordo ne subvertetur *necesse est negotia disponere et non eis immergi, habentes oculos ad Dominum erectos ac fidentes*<sup>5</sup>. Quotidiana idcirco mentalis meditatio, spiritualis lectio, conscientiae discussio, B. M. V. Rosarium, SS. Sacrificii actio, haec omnia aliaque similia<sup>6</sup> persolvenda sunt.

<sup>1</sup> Levitic. VI.

<sup>2</sup> Ad Ephes., VI, 18.

<sup>3</sup> S. Francisc. Assisiens. Ad Sanctam Claram.

<sup>4</sup> Act Apostolor. XX, 28.

<sup>5</sup> Barthol. de Martyrib. Stimulus Pastoris. Par. II, cap. II.

<sup>6</sup> Cfr. Pius PP. X. Exhortatio ad Clerum, 4 aug. 1906.



Quoad breviarii recitationem canones sic audiunt:

I) Clerici omnes in sacris constituti, ad privatam saltem breviarii recitationem tenentur<sup>1</sup>, si fructuum amissionem devitare desiderant.

II) Horae canonicae recitandae sunt: a) iuxta generalem formulam Breviarii romani<sup>2</sup> et specialem a dioecesis kalendario praescriptam; b) iuxta debitum officiorum et horarum ordinem; c) tempore et loco congruo; d) vocaliter, integre, continue, attente ac devote.

III) Excusant ab horarum recitatione: a) impotentia physica vel moralis; b) charitatis officium; c) legitima dispensatio<sup>3</sup>.

At, et alia pietatis exercitia ac instrumenta a Parocho fideliter obeunda, adhibendaque habentur, ut dum animae suae prevalidum alimentum praebet, et dominico sibi concredito gregi, apostolatus opera recte impendere valeat, Hos inter:

I. Sacramentalis confessio, saltem unaquaque in hebdomada peragenda, de qua, saluberrime omnino, Ordinarii quidam pro concursus ad beneficia aliisque in circumstantiis, scriptum testimonium exigunt.

II. Spiritualia Exercitia, a SS. D. N. Pio Papa X pro clero romano, unoquoque in triennio, peragenda prescripta<sup>4</sup>, quod, ut plurimum, et omnibus in dioecesibus servatur. Quanta, enim, ex hac pia exercitatione [in domibus ab Episcopo designatis obeunda] personae ac opera Parochi adiumenta sortiantur, tam in comperto est ut his immorari haud prestat<sup>5</sup>.

III. Parochus insuper suae sacerdotalis ac pastoralis perfectionis studiosus neque recollectionis menstruae pium exercitium negligit, quum hoc mediante quae emendanda providendaque sunt in se atque in suo grege statim cognoscat, ac remedium afferre valeat.

IV. Si vero *Unionis apostolicae* consociationi nomen Parochus dederit [qua praevalida ad sacerdotalem vocationem tuendam media conferuntur], dummodo quae in re praescribuntur fideliter servet, haud poenitebit.

44. — Extra ordinem Pastoris oratio illa est quam, dum per tempus licet:

a) Exterioribus occupationibus intermissis fundit, vel quum peculiare regiminis necessitates et peculiare divinum auxilium

<sup>1</sup> Cfr. Moralistas.

<sup>2</sup> Cfr. Pius PP. X, constitut. *Divino Afflatu*, 11 Kal. nov. 1911.

<sup>3</sup> Cfr. Moralistas.

<sup>4</sup> Mot. propr., *Experiendo*, 27 dec. 1904.

<sup>5</sup> Cfr. Pius IX Encycl. *Qui pluribus*,

9 nov. 1846; Leo XIII, Encycl. *Quod multum*, 22 august. 1886 et litt. 18 dec. 1889; Clemens XI, Encycl. 1 febr. 1710; Benedict. XIV *Synod.* XI, 2; *Institut.* 104; *Ubi primum*, 1740; Pius PP. X, *Motu Proprio* cit.

efflagitant. Idcirco, postquam Pastor ea disposuerit quae necessitas paterna poscit, ne omnino refrigescat, ne in desuetudinem orandi veniat, ne divinae gratia propitiationis ei quasi insensibiliter subtrahatur, et ut deliciis spiritualibus pascatur ac gratissima gaudiorum lilia animo colligat, hominum tumultus declinet, et ad sanctum orationis montem, quasi furtim et raptim, advolet, vel in aromatum hortum descendere festinet. Inibi, terrenorum strepitus veluti oblitus, redeat ad cor, mentem suam ad superna erigat, ad coelestia desideria se suspendat, atque, de sanctissimo Tabernaculi fonte, saluberrima divinorum eloquiorum fluenta avide hauriat, recta consulat, agendaque prudenter disponat. Quod Servator Noster [quamvis Ipsa increata Sapientia] servavit qui, diebus turbis praedicans, noctibus in oratione solus pernoctabat: nec secus Moysen egisse legimus qui, quum *per populi negotia exterius vexaretur, crebro in Tabernaculum foederis ad Dominum recurrit, familiare ipsius colloquium ibi expetens, quo intrinsecus in spiritu reficeretur*<sup>1</sup>.

b) Quoties vero spirituali, seu corporali paroeciae fatigatur in proelio, quoties scandala tollenda, pax reconcilianda ac quaedam magni momenti negotia disponenda agendaque sunt, Pastor [Servatorem Nostrum imitatus qui, antequam Apostolos eligeret, *exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei*<sup>2</sup>] ad orationem confugiat, atque ad luminum consolationumque Patrem clamet: *Domine, tibi soli in hac opera placere cupio; illumina ergo faciem tuam super servum tuum*<sup>3</sup>. Nec secus ab Holoferne oppressi agere, qui, *per totam noctem, intra Ecclesiam oraverunt, petentes auxilium a Deo Israel*<sup>4</sup>; quod et Iosue servasse legimus qui, *cum civitatem expugnaret Hay...*, *satim coram Arca Domini prostratus oravit*<sup>5</sup>. Divinis hisce auxiliis roboratus Pastor, rediens ad operam [uti alter Moyses a Monte Sancto rediens] fidelium passiones facile sedabit, adeoque cuncta apte disponet ut quasi divino afflatu regi videatur. Tunc enim [paterna ratione agendo] ex interna gratia Sancti Spiritus quam habet, magnae providentiae lumine plenus, quasi coelestis vir a christifidelibus excipietur, quibus divinae humanaeque scientiae prudentiaeque thesauros reserabit.

45. — Pastoris orationis obiectum Apostolus indigitat suadendo: *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit... regere Ecclesiam Dei*<sup>6</sup>, et alibi: *per omnem orationem et obsecrationem*

<sup>1</sup> S. Laurent. Iustin. *Op. et loc. cit.*

<sup>2</sup> Luc. VI, 12.

<sup>3</sup> S. Laurent. Iustin. *Op. et loc. cit.*

<sup>4</sup> Id. *Ibid.*

<sup>5</sup> Id. *Ibid.*

<sup>6</sup> *Act. Apostolor.* Cap. XX, 28.



orans omni tempore in spiritu, et in ipso vigilans in omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis, et pro me...<sup>1</sup>. Ideirco:

a) Pro se ipso oret, quum praesertim in regimine Psalmistae illud locum obtineat: *nisi Dominus aedificaverit Domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam*<sup>2</sup>. Pro se, igitur, preces Pastor fundat ut sapientia ad degustanda coelestia, intellectus lumen ad intelligenda Superna arcana, prudentiae virtutem ad fallaces huius saeculi deceptiones devitandas, consilii donum, fortitudinis constantiam, scientiae sensum, pietatis affectum, timoris filialis gratiam sibi comparare valeat: *ut detur illi sermo in aperitione oris sui cum fiducia, notum facere mysterium Evangelii pro quo legatione fungitur, ita ut in ipso audeat prout oportet illum loqui*<sup>3</sup>; quo et psalmi illud implebitur: *oratio mea in sinu meo convertetur*<sup>4</sup>.

b) Et pro christifidelibus sibi commissis ipse oret; nam quum et pro animabus sibi concreditis arctam rationem redditurus Pastor sit [non charitatis tantum, sed et iustitiae officio] pro ipsis Deo preces fundere adstringitur. Quum vero *omnis Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum ut offerat dona ac sacrificia pro peccatis, qui condolere possit iis qui ignorant et errant*<sup>5</sup>, ac uti mediator inter Deum et subditos Pastor constitutus sit, spiritualia christifidelium negotia, orando, gratiam implorando, apud Ipsum gerere debet: quod Moyses, et Apostolus facere non desistebant qui alter ad Colossenses scribit: *semper sollicitus pro vobis in oratione*<sup>6</sup>; quod et Samuel in moribus habuit cum clamaret: *Absit a me hoc peccatum in Domino ut cessem orare pro vobis*<sup>7</sup>. Sanctus, autem, Alphonsus a Ligorio ad rem monet: *Verbum quod ex mente divino incensa igni erumpit, longe magis valet quam quod frigido ex corde promanat. Atqui charitatis ignem incendere orationis est*<sup>8</sup>. Quum, insuper, christifideles, ut passionum bella fortiter sustineant, et Dei in se ipsis voluntatem agnoscant, superno auxilio quam maxime egeant, non consilio tantum ac vigilantia, sed oratione quoque ac potissimum, adiuvandi sunt. Ad rem canonum praecriptiones quoad missam pro populo alibi recolemus<sup>9</sup>.

<sup>1</sup> *Ad Ephesios*, VI, 18.

<sup>2</sup> *Psalm.* XXXIV, II.

<sup>3</sup> *Ad Ephesios*, VI, 19, 20.

<sup>4</sup> *Psalm.* CXXVI, I.

<sup>5</sup> *Ad Hebr.* V. 2.

<sup>6</sup> IV, 12.

<sup>7</sup> I Reg. XII, 23.

<sup>8</sup> *Dell' Orazione*, VI.

<sup>9</sup> Cfr. indic. alphabetic. *Missa*.

### § III. — De boni Pastoris orationum condicionibus.

SUMMAE RERUM. — 46. Animadversiones praeviae. — 47. Quae quoad eius personam Pastor praestare in re debeat. — 48. De oratione cum actione cunjun-genda. — 49. Conclusio

46. — *Magna prorsus orationis virtus est [divino conspectui oblata per angelos] si tamen sit charitate ignita, fide plena, intentioni rectae subnixa, humilitate sociata, ac delictorum sordibus impolluta, bonisque operibus decorata*<sup>1</sup>, in quibus Pastoris orationis condiciones continentur. Attamen [ne longius quam par est sermonem trahamus] sequentes tantum orationis condiciones quae Pastoris personam eiusque operam attingunt tantum enucleabimus.

47. — Orationum Pastoris condiciones eius personam spectantes ita perstringi possunt:

a) Deo acceptus sit; nam *qua mente apud Deum intercessionis locum pro populo arripit qui familiarem eius gratiae esse per vitae meritum nescit?... Cuncti, enim, liquido novimus quia cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocetur. Qui ergo adhuc desideriiis terrenis adstringitur caveat ne, districti iram iudicis gravius accendens, dum loco delectatur gloriae, fiat subditis auctor ruinae*<sup>2</sup>. Nil mirum, igitur, si nos peccatores tarde exaudimur qui praecipientem Dominum vix aut in nullo audimus: nam hoc exigit iustitiae regula ut non valeat impetrare homo peccator ab Illo bonum quod flagitat cuius legi non obedit. Ambo convenire debent simulque in uno sociari vinculo cor et lingua, vita et oratio, virtutis opus et affectus caritatis. Horum alter si dividatur ab altero, iacet orantis animus, et *oratio eius fiet in peccatum*<sup>3</sup>; non placet Deo sacrificium orationis, nisi sacrificantem ipsum ipsi placeat. Ergo si Pastor minime confidat in prece, si sordet in opere; scriptum est enim: *qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis*<sup>4</sup>. Pastor, igitur, quod obtinere concupiscit quae recepisse ambigit, iuxta mandata Dei vivat necesse est: nam opus laudabile orationis vehiculum est quo graditur ad Superna coelorum.

b) Mortificationi studeat, cum oratio ac mortificatio duae veluti sorores, iure meritoque, habeantur, quarum una sine altera diu subsistere nequeat. Mortificationis, igitur, opportunum sacrificium ora-

<sup>1</sup> S. Laurent. Justinian. *Op. cit. et loc. cit.*

<sup>2</sup> *Id.* Ibid.

<sup>3</sup> *Psalm.* CVIII, 7.

<sup>4</sup> *Prov.* XXVIII, 9.